Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 917

Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 72. Definitiones Logicae, Metaphyſicae et Ethicae in Tabellas redactae, levis momenti.

CCLX. *ablatus a G.*

682 Codex membraneus lat. Sec. minimum VII. Folior. nunc 115. 4. Formae pene quadrae, charactere magno quadrato elegantiſſimo, absque vocum diſtinctione, exaratus, rubricis notatus, adlatus olim ex Arce *Ambraſiana*, maximique pretii jam a *Lambecio* L. II. p. 799. edit. *Kollar. col.* 624. deſcriptus eſt, adjecto etiam gemino cum picturarum, tum literarum aeri inciſarum ſpecimine. Videtur ille porro ex duobus coaluiſſe; priora enim 7. *Folia*, quorum primum et ultimum Figuram Crucis a *Lambecio* exhibitam, ſextum graecam IV. *Evangeliorum* Inſcriptionem, reliqua, videlicet 2. 3. 4. et 5. *Canones* graecos *Harmonicos Euſebii* continent, manifeſte ad quendam ejusdem aetatis *Evangeliorum* graecorum *Codicem* pertinuere. Hallucinatus eſt igitur *Baudelotus*, dum T. II. *de Utilit. Itiner.* edit. *Rothomag.* 1727. p. 127. 8. ſcripſit: *C'eſt un Ouvrage de Ruffin ſur la Geneſe, qui a pluſieurs Titres Grecs;* nec una ratione hallucinatus; nam *Libri II. Rufini Aquilejenſis* Presb. qui ad an. 410. vitam produxit, tantum abeſt, ut totam *Geneſin* amplectantur, ut nonniſi in XII. *Patriarcharum Benedictiones Cap.* 49. contentas, quod omnes Eruditi norunt, commententur. Quare oculos intendere oportebat *Ὁδοιπορον* illum, ut multos alios ſui generis. Praeit jam in *Codice* hoſce *Libros* Epiſtola *Paulini* inſcripta: *Paulinus: Rufino: Fratri Sal.* Editio Operum *Rufini Pariſiis* a *Ren. Laur. De la Barre* 1580. f. curata, quae ſola ad manum eſt, interſerit: *Nolanus Epiſcopus.* Epiſtolae initium: *Uel Breuis Nobis Ab Unianimitate Tua Litterae Magno Refrigerio Sunt.* &c. *Fol.* 10. p. 2. ſuccedunt: *Reſcribta Ad Presbyterum Paulinum* (itaque nondum Epiſcopum) *De Judae Benedictionibus.* Initium: *Quanto Magis Ego Me Tibi Excuſo* &c. Graeca, quae in hoc reſponſo occurrunt, ſpiritibus et accentibus deſtituta ſunt et recte habent, niſi, quod H bis rediens priori vice per *h* exprimatur. *Fol.* 15. Incipit Expoſitio Benedictionis Judae: *Juda Te Conlaudent Fratres* &c. Finit: *Reuelata Facie Gloriam Domini Speculari. Fol.* 42. altera *Paulini* Epiſtola inſcripta: *Paulinus Fratri Salutem.* Initium: *Etſi Incertum Mihi Fecit Filius Cerealis* &c. Haec Epiſtola a verbis: *capeſſere commiſimus epiſtolam iſtam* &c. charactere paullo minore et compreſſiore, ſed tamen quadrato exarata eſt, una cum ſequente tota, quae inſcribitur: *Incipit Reſcribta Ad Eum. Rufinus Fratri Paulino Homini Dei*, et orditur: *Communem Quidem Filium Cerealem* &c. Finis ab Impreſſis diſcrepat; habet enim tantum: *aliis propinas.* —